



# Disputatio juridica inauguralis de secundis nuptiis

<https://hdl.handle.net/1874/341855>

22

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
SECUNDIS NUPTIIS,

QVAM  
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inlyta Academia Ultrajectina  
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, & Nobilissimæ*

*Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & Privilegiis  
ritè, ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit*

GULIELMUS à VOORBURG, Roterodamus.

*Ad diem 14. Decembris, hora locoque solitis.*



ULTRAJECTI,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, cō lcc LXXXVI.

*Per-illustri , & antiquissimo  
Batavorum stemmate pro-  
gnato DOMINO,*

*Domino JOANNI  
JACOBO,*

Baroni de *Wassenaar*, libero  
Domino de *Bossche*, *Sanen*,  
*Cranenbroek*, &c. &c. &c.  
Vitrico suo honoratissimo, fi-  
liali obsequio in æternum co-  
lendo,

*Hæc Theses Inaugurales*

Dicat & consecrat

GULIELMUS à VOORBURGH,

AUTH. & RESP.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

# SECUNDIS NUPTIIS.

THEISIS I.



*Ecunda nuptiae sunt, non solummodò, quę, soluto priori matrimonio, alterā, sed & tertiā, quartā vice, ac deinceps, inter virum & mulierem ineuntur: Hę quondam, & nunc, apud multas nationes malè audierunt: Cathari olim & Novatiani has condemnarunt; Quin & ipse Tertullianus, de Monogamia, Carnale quiddam, & pudori repugnantem matrimonii repetitionem vocat; contrā verò, spiritualius & divinius quiddam esse censet, in uno matrimonio acquiescere; sicut Ecclesia unum Deum pro marito suo credit, & agnoscit: Non multum dissentit Grotius lib. 3. c. 4. §. 2. de jure belli ac pacis, ubi repetere nuptias licitum autumat, sed laudabilius habet, uno contentum esse matrimonio: Romana quoque Ecclesia binubos presbyterorum benedictione privat,*

A 2

nisi

#### 4 DISPUTATIO JURIDICA

nisi ubi viduus fortè virginem ducit; iisque tonsuram, clericalem habitum, & majores sacros ordines denegat.

##### I I.

Depositâ indagine de *causis*, quæ beatas, & gradum perfectio-  
nis sublimiorem affectantes animas ad harum Nuptiarum ne-  
glectum potuerint movere; illud tantum inquisitione indige-  
bit, quam ob rem a jure Civili sint odio habitæ, & quo usque  
idem animus apud nostrarer valeat. Rationes Imperatoris  
Justiniani *Nov. 22. c. 43.* nimis fuitiles sunt, quam ut pondus  
dent; Nam per secundas mulierum nuptias defunctorum ani-  
mas contristari, absonum est; &, plerasque foeminas altera  
vota appetere, non tam procreandæ proliis causâ, quam im-  
pulsu quodam naturæ, vix unquam verum est, *Claudiana*  
*teste, lib. 1. in Europ.*

*Nascitur ad fructum mulier, prolemque futuram;*

Præterquam, quod, si reluctentur naturæ, in turpiorem vitam  
prolabantur, metus sit.

##### I I I.

Fortior ratio desumitur ab incommodis, quibus liberos prioris  
matrimonii afficiunt novercæ, ac Vitrici: Namque solent  
mulieres maritis novis non solum res filiorum, sed etiam vitam  
addicere, *l. 22. C. de admin. Tüt.* & patres plerumque injuriam  
adversus liberos suos testamento inducere, malignè circa san-  
guinem suum inferentes judicium, novercalibus delinimentis,  
instigationibusque corrupti: Hinc inofficiosorum Testamento-  
rum querelæ, *l. 4. ff. de inoffic. testam.* Hinc dissidia, æmula-  
tiones, animorum alienations inter utriusque conjugii sobo-  
lem. Nam non ipse hæ nuptiæ damnandæ, imò non magis,  
quā primæ; sed injuria liberis inferenda: quibus, si ab omni  
parte satis cautum sit, æquius judicium de ipsis illis nuptiis  
per placet, odio perverso procul ire jussò.

V. Poene

## I N A U G U R A L I S. 5

## I V.

Pœnæ jure nostro distinctæ sunt; vel propter secunda vota festinata, vel propter ea simpliciter suscepta, in liberorum prioris matrimonii solatium. Ille mulierem intra luctus annum ad novum maritum transeuntem, infamia notant, *l. i. & l. ii. ff. de his, qui notantur infam. Nov. 22. cap. 22. vers. si enim: Dotis nomine, & alio quocunque titulo plus in hunc virum recentem conferre, quam tertiam bonorum suorum partem, vetant, l. i. C. de secund. nuptiis.* Omnia, quæ à defuncto sibi marito obvenerunt; Imò & cujuscunque extranei Testamento, amittere; nec non à consanguinei ultra tertium gradum successione ab intestato arceri, jubent *d. l. i. b. t.* Causa est prima, ne turbatio sanguinis fiat, *l. ii. § 1. ff. de his, qui notantur infam.* neve incertum sit, an ex priori, an secundo Viro mulier conceperit: Accedit publica honestas, ne, adhuc vivente priori viro, pudicitiam violasse, vel de violando cogitasse, vel cum secundo in necem prioris conspirasse videatur: Præterquam, quod alteri marito levitatis suspicionem præbeat, vix finito uno, de novo complexu decernens: saltem nimis contemnat, quem tam præproperè oblivioni tradit.

## V.

Hæ pœnæ de festinatis nuptiis jure Pontificio remissæ, & nostris moribus planè obsoletæ sunt; quamvis in Frisiâ novem, in omni fermè Hollandiâ sex, & secundum Synodorum quarundum statutum, nempè *Dordrac. 1578. art. 89. & Mediob. 1581. art. 56.* quatuor menses cum dimidio a morte mariti statuti sint, quibus ab hujusmodi reiteratis nuptiis abstineri necessum est, ad evitandam probis confusionem. Quod maritus uxorem hoc modo non lugeat, haud mirum est, quum in eo non solum legis ratio cœset, sed & à virili constantiâ alienum videatur lugere. Nec obstat S. Pauli dictum, *Rom. 7. vers. 3. & 1. Corinb. 7. vers. 39.* mortuo marito, mulie-

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

rem ab ejus lege solutam esse , aliquique nubere posse ; in illo enim divino veriverbio libertas ad altera vota eundi , & ejus optimâ causa , quâ liceat , afferitur ; non tamen licentia , quovis tempore , quæ à lege Civili , propter justam rationem , poterit arctari , ut illa , quæ non cuivis nubere fœminam patitur , absque consanguinitatis , affinitatis , aut publici boni respectu .

### V I.

Pœnæ , propter ipsas nuptias secundas , ut ut non festinas , liberorum priorum intuitu , duæ sunt ; *Prima* , quod mulier secundò nubens amittat proprietatem rerum , quas ex mariti facultatibus , sub lucrativo titulo accepit , eâ liberis prioris matrimonii reservatâ , solo usufructu sibi remanente , quādiu vixerit , *l. 3. b. t.* Quod jus etiam hos liberos tangit , qui defuncti parentis hereditatem repudiarunt , *Anth. heres, b. t.* Et , si quis eorum præmoriatur , jus idem ad suos liberos transmittit , per repræsentationem , *l. 7. & 8. b. t.* quamvis juratò parentum successioni repudient . Cujus rei ratio est , quod lucra hæc legis beneficio adveniant , instar æris alieni sint ; quum reliqua suum principium successioni debeant , à quâ , qui ex secundo matrimonio sunt , non excluduntur .

### V II.

Hæc bonorum , quoad proprietatem , amissio & in Patre locum habet , quamvis *l. 3. fœminæ C. b. t.* solas respiciat matres ; secundum Curiarum supremarum multas decisiones : Sicuti & in Patre receptum est , quod in matre , de bonis ex liberorum successione venientibus , reliquis ejusdem matrimonii liberis reservandis , ubi ab intestato contingit ; Nam ex Testamento , heres pater , ea capit , ut quilibet extraneus ; Quâ eâdem ratione bona superstiti cedunt , pleno jure distribuenda , si aliundè , quam à parente , ad filium præmortuum pervenerint , *Anth. Ex testamento , b. t.* vel si ab ipso superstite profecta sint , ut dos , vel propter nuptias donatio , quæ propria superstitis patrimonia

## I N A U G U R A L I S. 7

nia sunt *l. 18. cum authent.* *Eò decursum §. pater. C. donat. antè nupti.* In hoc solo viri conditio præ muliere potior, quod cautione fructuariâ, uti hæc, non gravetur, *l. 6. b. t.* reverentię enim parenti debitæ satisfactionis exactio repugnaret, ut cuius prudentia, & circa liberos affectus, est major. Cur autem proprietas lucrorum prioris matrimonii liberis cedat, ratio videtur esse, quod solā librorum contemplatione data, & superstitione acquisita videatur, *d. Nov. 22. §. soluto igitur.*

## V I I I.

*Altera pena* est, quod secundò conjux ultimo conjugi non possit plus donare, vel relinquere, quam uni, qui, ex liberis matrimonii prioris, omnium minimum consequitur, *l. 6. b. t.* Si quid amplius novercæ vel vitrico datum, relictumve sit, transfertur, ex Leonis constitutione, ad liberos, ut æquis portionibus inter eos dividatur. Ut verò sciatur, an secundus conjux plus habeat, inspicendum, ut in ineundâ Falcidiæ ratione, & aliis plerisque causis, tempus mortis parentis, qui nuptias iteravit, *d. Nov. c. 28*; non tempus secundi matrimonii, vel testamenti, vel donationis. Quod reverà magnam habet vim circa bonorum augmentum & diminutionem, quæ postea forte supervenerint.

## I X.

Jam restat, ut videamus, an hæ penæ sint moribus sublatæ? Unus ait, alter negat. Sanè, libertas hodierna matrimoniorum, ubi prior conjux obiit; odium omnium pœnarum, quas nostra simplicior jurisprudentia non fert, eas neutiquam admitteret: ex adverso, cum hæ penæ non tam sint ad vindictam & conjugum punitionem, quam ad liberorum ex primis nuptiis susceptorum, utilitatem, cui leges prospicere voluere, non videntur à moribus & æquitate decidere. Sint ergò legales quædam damni liberorum compensationes, vel potius obices, præcipue hæc ultima, que, quum altera in desuetudinem abeat, & adhuc observatur.

X. Cessat

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

## X.

Cessat omne præjudicium secundò nuptis, ubi nulli liberi extent ex conjugio priori, sive antè, sive post nuptias secundas obierint suum diem, ita ut per omnium mortem proprietas cum usufructu in personâ parentis bintibi consolidetur, *arg. l. 3. & 6. b. t.* Undè apparet, dominium, quod parens per transitum ad altera vota amiserat, liberis prioribus acquiri revocabiliter, nempe, si supervixerint; atque adeò ultimum liberorum superstitem non posse de iis bonis pro lubitu disponere, quum, mortis suæ tempore, dominium ab eo in parentem superstitem discedat, *vid. Sande lib. 2. tit. 3, def. 1.*

## X I.

Tamen idem præjudicium non aufertur voluntate defuncti, ex quâ superstes suas secundas nuptias contraxerit, neque liborum in secundum illud matrimonium consensus, vel in nuptiis præsentia; nam, qui non contradicit actui, qui eo invito geri potest, nullum sibi damnum parat. *l. 8. §. non videtur, ff. quib. mod. pign. vel hypoth.* Secus videretur, si liberi pactis parentum dotalibus, quibus sibi crearetur præjudicium, subscriperint, ea aperte comprobaverint, de suo jure nequicquam protestati, *v. Perez. in Cod. b. t.*

## X I I.

Tandem controversum est, an per *l. 6. Hac editali C. b. t.* bonorum conjugalis communio, in Hollandia observata, non restringatur? Hujus negativa verior est; eo quod *d. l. 6. patrum nostrorum memoriam* in praxin recepta, antiquam communionis consuetudinem nullo modo potuit restringere: Præsertim, quum prudenter distinguendum sit, inter alienationes, quæ facto hominis obveniunt, in testamentis, pactis dotalibus, aliisque conventionibus, & eas, quæ ex communi more vel lege; *l. 13. ff. fam. Ercisc.* Ille, per *l. 6. hac editali* prohibentur, *hæ* verò per eandem *l.* vetari non potuere: Atqué adeò secundus conjux, qui communionis vi dimidiam bonorum partem præcipit, virilem, seu filialem insuper portionem, ubi *hæc legata* sit a suo conjuge, capere potest.

F I N I S.